



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De choro. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT V.

De choro.

Qui in
choro psal-
lit, simul &
orat & le-
git & op-
ratur.

Psal. 70.

I Sta tria, oratio, lectio, & operatio, occurrunt nobis faciendi in choro, quia ibi præcipuè frequentatur oratio, in psalmis, hymnis, & collectis. Ibi etiam lectio sacra recitatur in matutinis, in epistolis, & euangelijs. Nec vnquam deest ibi perfecta eruditio, si fuerit diligens aduertentia. Ibi loquitur IESVS nobiscum, cum cantatur; *Salus populi ego sum*. Et iterum, nos loquimur cum Iesu, cum dicimus; *Spes mea Domine à iuuentute mea, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

2. Ibi est operatio bona & perfecta, cum corpore stamus & ore cantamus. Non est paruus nec infructuosus labor, die nocteque chorum frequentare. Non est etiam otiosus, qui deuotè orat, immo maximus labor ad orationem sedare, cum orare non libet. Non est otiosus, qui scripturas legit, aut legere audit, aut de eis meditatur & ruminat. Fit homini chorus paradifus, si incipit delectari in omnibus diuinis scripturis.

CAPVT VI.

De vigilijs matutinis.

Vigiletur
in oratio-
ne media
nocte.

O Mni media nocte statim vt suscitatus fueris, surge alacriter, & præpara cor tuum ad vigilandum & psallendum Domino in lætitia & exultatione. Si non habes deuotionem in choro, psalle æquo animo, & expecta gratiã Domini de cælo. Sepè dat Deus in fine quod iustè antè denegauit. Vult vt laboremus, vult vt pacièter expectemus. Vult vt gratũ nobis sit & magnum, quod dare disposuit. Vult vt cognoscamus veraciter, quia à nobis nihil boni habemus, sed totum de sua gratia & misericordia nobis constat. Oremus ergo, cantemus, & laudemus Dominum Deum nostrum, qui fecit nos, quia nihil iucundius, quàm Deum corde & ore laudare. Longè sit somnolentia, longè & pigrizia, vbi in conspectu angelorum & coram oculis maiestatis Dei stamus.

CAPVT VII.

De meditatione post matutinas.

Initis matutinis, offer teipsum Deo in sacrificium laudis perpetuæ; vt in sui nominis laude & amore, tota die ac nocte, te dignetur conseruare. Hoc enim principale opus nostrum est, debet Deum semper laudare; & omnia opera nostra exteriora & interiora, parua & magna, ad eius honorem purè & integro

cor-